



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 44. S. Eberhardus Salisburgensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

§. XLIV.

*S. Eberhardus Salisburgensis.*Sæcul. XII.
A.C. 1160.

Eberhardum, Archiepiscopum Salisburgensem, ex primis stirpibus Bavariæ, circa annum millesimum octogesimum quintum, ortum parentes studiorum causa Bambergam miserunt, ubi, postquam aliquamdiu Canonicus fuisset, institutum monasticum in Abbatia S. Michaelis amplexus est. Inde vero invitus a Canonicis evocatus in Franciam delegatur, ut iterum literis incumberet, donec deleta tonsura capilli rursus crescerent. Reversus in patriam suam, Bavariam, & apud parentes suos diversatus, cum diu in utramque partem argumenta discussisset, ad monasterium, annos natus quadraginta, accepta ab Episcopo S. Ottone & Capitulo Cathedrali Bambergensi licentia, rediit. Inter hæc, ejus Fratres, cum Monasterium in prædio suo, quod Biburgum dicebatur, condidissent, expetierunt, ut ibi Abbas esset; at nihil impetrarunt per spatium annorum quinque, usque ad illud tempus, quo S. Præsul, Episcopus Bambergensis, Romam profectus comitantem se Eberhardum Innocentio Papæ secundo commendavit, & quanto desiderio eum Abbatem habendi Monachi Biburgenses tenerentur, indicavit.

*Vit. tom. 2.
Canis p. 287.**p. 287.*

A a 2

Papa

Sæcul. XII. Papa Eberhardum, Monachorum vo-
 A.C. 1160. luntati obsequi jussum, ipse suis mani-
 bus Benedictione Abbatiali consecravit.
 Qui Abbas ordinatus nascentem fami-
 liam, prudentia magna præditus, &
 Disciplinæ Regularis amantissimus, rexit.
 Hospites advenientes liberaliter habuit,
 & eleemosynas largissime distribuit, nec
 de messe plura reservavit, quam uno
 anno suis suffectura essent.

Radev. 2.
c. 73.

vit. p. 296.

Eberhardus annis jam quatuordecim
 Abbatia Biburgensi præerat, cum, Sede
 Salisburgensi per obitum Conradi Archi-
 episcopi vacante, communi Episcoporum
 hujus provinciæ, Clericorum po-
 pulique ejusdem Ecclesiæ consensu,
 Archiepiscopus eligitur. Dignitate sub-
 limi auctus de prioris vitæ rigore nihil
 dimisit, & majores opes adeptus, eo
 largius pauperibus succurrere cœpit.
 Oves suas tam verbo quam exemplo
 pascebat, in Sacris literis versatissimus.
 Amplissimas facultates excipiendis ho-
 spitibus & alendis monachis impendebat.
 Archipræsul per se ipsum pauperibus
 serviebat, & lepra liventes artus tan-
 gere, miserorumque pedes osculari di-
 gnabatur. Alexandrum Papam semper
 veneratus & Pastorem Ecclesiæ secutus,
 Hartmannum quoque, Episcopum Brix-
 nensem, Suffraganeum suum, permovit,
 ut eidem obediret. Hi duo soli Antistites
 Germaniæ

Germaniæ extiterunt, qui se noxio Sæcul. XII.
 schismate involvi passi non sunt. Nec A.C. 1160.
 temere, sed post longam demum delibe-
 rationem Archiepiscopus legitimum Pa-
 pam recepit, facti sui rationem reddens,
 quod tota Ecclesia (nempe pars major)
 in Alexandrum consensisset. Quamvis
 vero tanta libertas Fridericum Impera-
 torem graviter affligeret, nihilominus
 durius in Præsulem consulere non aude-
 bat, sed quoties ad Curiam veniret
 Eberhardus, emicans ex S. Viri vultu
 majestas Principem in officio continebat.
 Id non nunquam Fridericus proprio ore
 fatebatur; at S. Præsul exilium vel mor-
 tem pro Deo sustinere sive schismatis
 sive quacunque alia occasione ardentem
 desiderabat. Obiit S. Eberhardus annis
 quatuor a Concilio Papiensi elapsis, illa
 nocte, quæ inter Dominicam & diem
 Lunæ, vigesimam secundam Junii inter-
 cedit, anno a partu Virginis millesimo
 centesimo sexagesimo quarto, ætatis
 septuagesimo nono, & Pontificatus sui
 decimo octavo. Multa miracula ad ejus
 tumulum patrata leguntur, & ipse in
 Sanctorum numerum relatus est.

§. XLV.

*Epistola contra Concilium Papiense
 scripta.*

Henricus Cardinalis Presbyter, olim *Bibl. Ciste.*
 Aa 3 *Mo. to. 3. p. 241.*